

Carmen gratulatorium, in
honorem ... juvenis. dn.
Petri Warelii O-Gothi,
ph...

1 Ic 1653 Warelius, Peter



7a
Carmen Gratulatorium,

in honorem

Præstantissimi atq; Politissimi Juvenis.

DN. PETRI VVARELII
O-GOTHI, Philosophiæ Can-
didati meritissimi,

Cum is 3. Maij Anno cl̄o l̄oc LIII. Aboæ decenti
ritu solenniter,

PHILOSOPHIÆ MAGISTER
renunciaretur

à

VIRO,

Nobilissimo, Consultissimo & Excellentissimo

DN. MICAELE Gyllenstolpe


WEXIONIO Phil: & J. U. D. II: m: Hist.

& Pol. Profess: Ordinario, Facultatis Philosophicæ
Seniore & p. t. Decano Spectabili,

*Boni ominis & amoris testificandi ergo ab Amicis
& Patriotis decantatum.*


A B O Æ.

7a
Excusum Typis Acad. apud Viduam Petri Wald. An. 1653.


Quid præstet virtus sublimes rupe locata
Nescia fortunæ cedere, *Petre* vides!
Hæc quoniam fuerat ductrix tua; jam dat ho-
Ac adfert dulci munera fruge tibi. (nores,
Te inter Doctores Claros locat atq; Magistros,
Te socium Splendens clamitat ipsa suum.
Idq; probant flores hodierni *Clare* Magister
Quos tibi quæsit nocte dieq; labor
Eveniant fausto tibi numine! Non cano plura
Accipe quod tenuis jam mea *Musa* dedit.

*Non ut debuit, sed ut potuit ita L. Mg. Præ-
ceptoris suo optatissimo gratulabatur.*

LAURENTIUS Etenberg.


Nobilitant homines duo solum: *Litera* & *Arma*;
Cætera ceu fumus sunt peritura brevi.
Illas impiger es, *Præceptis* suspiciende
Seclatus, quare laudis honore cluis.
Laudis honore cluis, nomen titulumque *Magistri*
Accipis, & fertis jam redimitus abis.
Gratulor ergo tibi voveo quoque prospera quævis,
Sisque memor nostri semper ubi fueris.

*Hisce paucissimis honores Præceptoris sui
honoratissimi venerari voluit.*


ERICUS Etenberg.

Asper

Vota potens humilis nisi dedignaris amici,
Gratulor ipse tuo ritè Magisterio,
Ille Magisterio, Doctrinâ claret at alter,
Has solitum est fatum sæpè referre vices.
Sæpè Magisterium Doctrinâ jungitur alta,
Sed fugat Invidia livida tela mala.
Doctrinam Sophia titulo feliciter addis,
PETRE, sed invidia non potes esse rudis.
Cresce bono gemino, livoreq; surge maligno!
Quod caret Invidia, vix solet esse aliquid.
Vive, vale, Patriaq; diu, Musisq; superstes,
Et serva studio dexteriore fidem.

Præstantissimo Dn. Mag. Faut. & Amico honorando,
Intimioris Amicitiaë signum,
Occupatissimus posuit.

P E T R U S W A N E U S Finno.



Syllogismus.

Quicumq; in castris Musarum victor ovabat,
Cinget Apollo ejus Victricia tempora Lauro,
At tu Vareli musarum victor ovabas,
Ergo nunc merito victricia pone trophæa,
Et quod consequitur Titulo Lætare Magistri,

Hunc letum celebrare honorem Fautori Damoniq;
suo, sic Syllogisticè studuit

ANDREAS Elebom Carilstadio, Wermel.
Ritè



Rite tuas Fautor, memorarem carmine laudes;
Si mihi diceret Pulcher Apollo modos:
Ordine cantarem titulos, quos Enthea virtus,
Indolis ac ardor sedulitasq; merent.
Theologiæ quantum clara, Sophiæq; perample
VVARELI dederis, Mœoniæq; simul.
Ardua moliris; Reddit tibi gloria calcar:
Nec placet ex humili tella corona iugo.
Verba ast mi desunt; Sublataq; gratia lingua:
Et negat Aoniam Calliopoëa lyram,
Ergò Carminibus, votum subnecto benignum
Festivis; Calidi pignus amoris erit:
Tertia vernantis felici sidere Maji
Lux, tibi noster amor, fulgeat usq; rogo.
Quâ chorus Aonidum signat tua tempora lauru,
Atq; Magisterij nomina clara refers:
Sic ventura tuas celebrabunt secula laudes
Et præsens tribuet munia larga. VALE.

Amico suo intimo ex animo L. m. q;
vovebat

GABRIEL Arctopolitanus Finl.



Quid juvat ingenti quemquam voluisse labore,
Plurima Clarorum sic monumenta Sophum.

Quidnam Socratico vigilatas pectore noctes
Effecisse vides? sudor is insipidus
Pauperies praesto est tristis, mens, corpora langvent.
Ast labor assiduus, munera grata placent:
Sic solet ignari vulgi gannire caterva
Sic sibi nata cohors, insipidumque pecus.
Illud solerter confutas macte WARELI
Lux Sophiae, patrij nobile germen agri:
Pieriis etenim, tibi spes erat optima Musis
Semper, tunc elarios volvere ritè libros
Mens fuit; hinc dignè tibi turba novena sororum;
Ac resonat pariter murmura grata tibi.
Gratulor ex animo fautor tunc semper amande
Collatus voveo commoda reddat honos.

*Ità Viro politissimo & per eximio Dn.
Petro VVarello Philos. Doctoran-
do meritissimo, fautori & amico ho-
noratissimo adplaudere volui.*

JACOBUS BERGERI
WELLERIUS.

Cur vagus extremos currit mercator ad Indos
Cur fragili Cymbâ trux mare nauta secat?
Quare inter medios enses, & praelia miles
Militat in Castris, Mars truculente, tuis?
Cur juvat assiduis alium pallefcere chartis!
Quare alius versat nocte dieque libros?
Scilicet, ut lucrum post longos fama labores
Reddat & Authorem cura laborque beet.

Tum

Tum demum ingenuos inter pia nomina virtus
Erigit, & meritis applicat æqua suis.
Hinc *Petre* & tibi lucra patent, non lægnibus illa
Conveniunt, doctos ingeniosa decent.
En charites, rident, en Musæ carmina dicunt,
En Dryades cingunt fronde virente comas,
En tibi quas laudes, en quæ monumenta *Camanae*,
Muneraque impensi iusta laboris habent.
Idque hodiernus honor firmat te docte *VVareli*
Quem labor ingenij, nunc sibi rite parat:
Eueniat fausto tibi numine? semita sitque
Ad magè quæ clarum te ferat usque statum.

*Applaudente omnium virtutum gratia-
rumque choro gratulabundus scripsit.*

LAURENTIUS SIGGONIUS.

~~~~~  
**P**OLL! verè clarum reddunt quæcunque Magistrum,  
Quæque solent doctos condecorare viros;  
In Te nunc radiant, celo ceu *Phabus* in alto,  
Qui fulgere facit fulgure cuncta suo.  
Scilicet assiduo pallens pietatis amore,  
Versabas avida *Musica* scripta manus;  
Es *Clarus* logicus, *Physicus*, *Retorque* disertus,  
Pollens & reliquis artibus auctus eras,  
Es charus *Musis* vates, dulcedine mira,  
Fundebas variis carmina bella metris.  
Tu leve ceu velles elegis deducere carmen,  
Seu magis *berois* altius ire modis,

Sevi

*Sive lyram flacci percurrere, sponte fluebant,  
 Molliter in metricos verba diserta pedes,  
 Non aliter, quam cum largus delabatur imber  
 E caelo, aut madiào rore rigatur humus.  
 Prætereo reliquas dotes exculte Magister,  
 Quas omnes longum commemorare foret.  
 Vivida sidercas Te virtus tollit in auras,  
 Hac, & Apollineo flore & odore vires,  
 Huic etiam Muse texunt viridantibus herbis,  
 Ambrosiã laudis, ferta decora manu:  
 Hanc aterna manet fama decorisque corona,  
 Gloria & in nullos emoritura dies,  
 Fervida quò virtus Te maclat Petre VVareli,  
 Esto memor Fratris, integer ipseus ero,*

PETRUS & VV. gotus.



**Q**ui vult ad celsas Lãudes cum dexteritate  
 Tendere, & optata prosperitate frui.  
 Sedulus ingenuis studiis tunc iuvigilabit  
 Assiduo & dextrè, nocte dieque leget.  
 Dicere vix valeo quantum doctrinaque præstat:  
 Exaltat juvenes, promovet atque senes  
 Promovet atque juvat: telatur singula P E T R U S;  
 Pro studiis claris præmia digna capit.  
 Miror sed meritò quod tu clarere W A R E L I  
 Ex studiis posses tempore tam exiguo  
 Ergo coronaris fertis & honoribus almis  
 Pro sudore tuo; Sic studuisse juvat!

Sortiris

Sortiris justè sedem inter ubique Magistros  
Tu patriæ splendor, gloria magna, decus.

*Conterraneo suo, Præstantissimo Dn. Can-  
didato, quia debuit ita applaudere*

DANIEL SVENONIS  
LINCOPENSIS.



**I**ngenuis animam studijs qui tinxerit olim  
Eccè parat latus commoda magna sibi  
Hoc strenue semper fautor permande *Vareli*  
Fecisti, en igitur præmia digna capis  
Cum te clarorum meritum bene turba Sophorum  
Exornat lauro ut dignus honore cluas  
Votum quod superest imo de pectore fundo  
Hic præclarus honos sit tibi proficiuus.

*L. M. q. gratulab.*  
JONAS P. GELMAN.



PETRUS HAQUINI WARELIUS  
Per Anagr.

Quî vi? Puris Enthæa Laurus.

*En Quî non Vi! sed Puris sudoribus aptè  
Entæa Laurus ei confertim ac ritè paratur.*

JACOBUS A. EURENIUS  
Angermanniâ-Svecus.

**S**edulo qui studijs lepidis insistere pergunt  
Fœnore sic justo commoda multa ferunt,

B

Vulgus

Vulgus in argutum sed quot suspiria condit,  
Quam super glabro stamine nectat iter!  
Dum faber ad rapidum Vulcani sessitat æstum.  
Cogitur ignivomi ferre mala ipse foci,  
Herculeos poterit quisnam enumerare labores  
Rustica quos suffert gens pia dura gelu?  
Et Mercatoris sortem comprehendere? quisnam  
Militis effari mille pericla potest?  
At qui virtutis studiorum & castra sequuntur,  
His datur irriguo lacte polire caput.  
Palladius igitur WARELI es lotus ad undas,  
Unde Tibi surgit nomen in arce poli.  
Quod superest: Voveo, Dominum nunc voce fatigans,  
Ut cunctis cæptis annuat ipse! Vale.

ERICUS A. JULINUS  
Nycopensis.

OSTGOTHIA est celebris, gentrix, namq; alma virorū  
Clarorum semper ritè reperta fuit.  
Hujus tu es gnatus non degener indolis heres,  
Et qui fers magnis amula corda Viris.  
Quare felicem Teque omni parte beatum  
Dico; Sit felix Ostgothicumq; solum.  
Namque redis florens viridi lauru redimitus  
Ac Patrij, lætor, flamma corusca foci.  
Ergo age WARELI radiis jam nostra coruscet  
Mater communis Clara, decora, tuis.

Lubenter meritoq; ita honorando  
suo fautori applaudebat.

JOHANNES PETREIUS Norcop.

P E.



PETRUS HAQUINI WARELIUS OSTRO.  
GOTHIA SVEGUS CLARUS MAGISTER.

*Per Anagram: intermisso Q.*

SIC JUVAT EGREGIâ VELANTUR TEMPORA LAURU;  
TU SIC SIS felix: HOS SORS bene ducat honores.

**P**leridum Soboles vix infantianda VARELI  
Ubera tibi puero docta Thalia dedit.  
En! iam virtutem justis comitantur honores,  
Hac tibi quos meruit junctus & huicce Labor  
Te JUVAT en! Multum coluisse fideliter Artes,  
SICq; juvat studijs te invigilasse bonus:  
Rex Deus omnipotens quoniam te tollere pergit  
Terrâ; Tâ fama stet sine morte decus!  
Ut quoq; Castalides ad sidera tollere Nympha  
Possent, à teneris lacte aluere satis.  
Sic satis Ambrosiâ voluere Agganippe repletum  
Te, quo Pieridum fonte repletus eas,  
Ut sic EGREGIA caput ornarentq; corollâ  
Agressa nixu jam celerare viam.  
Aonidum Sacris es sat versatus in hortis;  
Res bene Succedant PETRE benigne tua:  
Ritus sunt clari: VELANTUR TEMPORA LAURU  
Auro fulgenti nam digitusq; nitet.  
Eja! Gaudenti tu pectore gaudia volte,  
Exultans animis aspera pelle procul.  
Lanriger en! Vigilans jam lucet docte MAGISTER.  
Tu lumen patrie lumine clare micat:  
In patria semper sis commodus atq; saluti;  
Tu SIC SIS felix; Hec ego vota canam.

Vive

*Vive valeq; diu magis exige Nestoris Annis:  
Flagrantem Febrim mox superesq; rogo.  
SORS facilisq; tuos HOS jam bene vertat honores,  
Tu mihi fautor eras, Semper es usq; fave.*

Non tam moris quam amoris & fausti omnis  
Ergo gracili conductum avenâ ab

HENRICO FLORINO.

*Finlando.*



O Mine cum fausto dum fert levis aura carinam  
Mortali cuidam vota secunda ~~viam~~ fluunt.  
Pectora quæ stygij rapido capiuntur ab æstro  
Invidiæ stimulis faucia felle tument.  
Splendida quos autem collustrat ab axe virescens  
Virtus atque nitens vix temerata fides,  
Exultant, gaudent, lætantur, jubila condunt  
Atque beatum tunc terque quaterque canunt.  
Sic ego nunc tenui canto modulamine carmen  
Successus gaudens hosce favere tibi,  
Gratulor & voveo divinum numen adorans  
Ut sis *Wareli* stella corusca soli.  
Incolumis vireas, videas & Nestoris Annos,  
Vivas & vigeas, non remorante gradu.

*Calido affectu allectus fautori & amico ho-  
noratissimo proposuit.*

ANDREAS JULINUS JUNIOR.

